34-5-6-10-
9
84

ASSERTIONES

THEOLOGICAE,

DE INCARNATIONIS myſterio.

ANTE INSTAVRATIONEM STVDIORVM, IN TEMPLO SOCIETATIS I E S V diſputandæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, IN AEDIBVS SOCIETATIS IESV.
M. D. LXI.

ASSERTIO PRIMA.

INcarnationis myſterium & ſi fuit non modò poſsibile, ſed Dei Bonitati, Iuſtitiæ, & Sapientiæ valde conueniens, neceſſarium tamen non fuit; potuit enim Deus humanum genus aliter ſeruare: quanquam illud negandum non eſt, quod ait D. Auguſtinus, ſanandæ miſeriæ noſtræ conuenientiorem alium modum non fuiſſe.

II

PVrus homo pro peccatis hominũ ſatiſfacere nõ poterat; oportuit itaque Deũ eſſe, qui pro hominibus Deo eſſet ſatiſfacturus; vt verè illud à D. Leone dictũ ſit de mediatore Dei et hominum, Niſi eſſet verus Deus, nõ afferret remedium; niſi eſſet verus homo, non præberet exemplum.

III

EX illis Pauli verbis, CHRISTVS IESVS venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere; atque eiuſmodi alijs quæ paſsim in ſcriptura ſacra reperiuntur, putamus id poſſe colligi, ſi peccatum ab homine non fuiſſet, Dei filium in hunc mundum non fuiſſe venturum. Non negamus tamen eorum, qui contrarium ſentiunt, doctiſsimorum virorum ſententiam, tanquam probabilem, poſſe defendi.

IIII

QVanquam ad tollenda omnia peccata, Dei filius incarnatus eſt; id quod vel ex illis Pauli verbis confirmari poteſt; Non ſicut delictum, ita & donum; nam iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. tamen aduentus eius originale peccatum pręcipuè cauſa fuit. Atque id non immerito quidam cenſent à Ioanne Baptiſta fuiſſe ſignificatum, cum diceret: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatũ mundi.

V

INcarnatio nec in principio mundi fieri debuit, neque fuit ad finẽ uſque ſeculi differenda. Nam cùm oportebat hominem naturæ ſuæ infirmitatem agnoſcere, adeoque intelligere ſibi Dei gratiæ auxilio opus eſſe, tùm erat Diuinæ miſericodiæ, ei in tantis miſerijs conſtituto, neceſſarium opportunè remedium adhibere.

VI

QVanquã re non differant Diuina eſſentia & perſona, ratio tamen vtriuſque diuerſa efficit, vt non in illa vnio, ſed in hac facta eſſe à Doctoribus dicatur.

VII

CÆterum cùm perſona, & hypoſtaſis in verbo nihil differant, planè ab illis erratum eſt, qui cùm vnionem in perſona factam concederent, in hypoſtaſi tamen factam negabant; fuit. n. illis, vt vna in Chriſto perſona, ita etiã hypoſtaſis vna, ſeu ſubſiſtentia confitenda.

VIII

CVM ſit verbi natura ſimpliciſſima, atque eiuſmodi, vt nullam poſſit compoſitionem admittere: quod à nonnullis viris grauiſſimis conceſſum eſt, Chriſti hypoſtaſim ex duabus naturis fuiſſe compoſitam, ſanè eſt interpretandum, atque ita accipiendũ, vt in eo tantùm compoſito illa conſiſtere exiſtimetur, quòd in duabus verbum naturis ſubſiſtit.

IX

DVbitandum nullo modo eſt, fuiſſe Chriſti animam corpori ſubſtantialiter vnitam, atque ex ea vnione conflatam humanam naturam, verbo non accidentaliter ſed ſubſtantialiter fuiſſe coniunctam: eſt enim verè Chriſtus homo, atque in eo, vt Paulus ait, hominibus ſimilis, meritoq́ue illorum temeritas ab Alexandro Papa reprehenſa eſt, qui Chriſtum ſecundum quod homo eſt, quid eſſe negabant.

X

POrro diuinæ & humanæ naturæ vnio, cum nõ ſemper fuerit, quiddam creatum eſt. Non tamen iccirco putari debet ei quicquam ex tempore acceſſiſſe, quod in eo, accidentis more, realiter inſit: eſt enim hæc relatio, adeoq́ue aliarũ modo, quæ de Deo ex tempore dicuntur, tantùm ei ſecundum rationem ineſt.

XI

ASſumptio actionem illam ſignificat, quam vnio, de qua proximè diximus, eſt conſecuta: verùm actio quanquam totius Sanctiſſimæ Trinitatis fuit, quia tamen longè alia ratione filio, quàm cæteris perſonis conuenit, ſolus is dicitur carnem aſſumpſiſſe, quemadmodum etiam ſolus dicitur eſſe incarnatus.

XII

ETſi vnitate Diuinæ eſſentiæ nihil poteſt eſſe ſimplicius, di-

ſtinctio tamen perſonarum efficit, vt illud, quod ex Auguſtino citatur à Diuo Thoma, verū ſit; Homo potius eſt in filio Dei, quàm filius in Patre; quibus verbis ſatis indicatur, hanc verbi cū humana natura vnionem omnium eſſe vnionum maximam, atque adeo vnitatem quandam efficere longè præſtantiſſimam.

XIII

CVm à ſanctis dicitur vnio, de qua loquimur, facta per gratiam, non ea gratia cogitanda eſt, quæ à Theologis habitus dicitur; is enim non potuit hîc tanquam medium intercedere, ſed nomine gratiæ illi Dei voluntatem, tantum hoc ſine vllis meritis beneficium in homines conferentem ſignificarunt. Adde quòd hoc ipſum ſumma fuit quædam gratia, nempe, in tantam naturā humanam eſſe dignitatem euectam, vt per diuinum eſſe ſubſiſtat.

XIIII

TAntum hoc donum nullus neque hominum meruit, nec potuit mereri. Quod itaque Patres Sancti id meruiſſe dicuntur, vt Deus homo fieret, ad meritum, quod à quibuſdam, ex cōgruo dicitur, referendum eſt.

XV

NEque vnionis gratia, neque ea, quæ fuit in Chriſto habitualis, ex humanæ naturæ principijs orta eſt. Quare cùm à Sanctis dicitur fuiſſe naturalis, id ita intelligendum eſt, Quòd videlicet eam iam inde à natiuitate ſeu conceptione habuerit: quanquam eò poteſt etiam referri, quòd eſt à Diuina Chriſti natura profecta.

XVI

QVanquam Dei natura ſine perſonalitatibus nulla eſſe poſſit, tamen, ſi Deus vnus eſſet, & eſſentia & perſona, nihilominus poſſet, quàm nunc, quancumque vellet, naturam aſſumere: atque id putamus à Doctoribus intelligi, cùm dicunt, abſtracta perſonalitate per intellectum, poſſe Deum aſſumere aliam naturam. Nam ſi nulla prorſus perſonalitas ſit, nihil remanet, quod poſſit aſſumere, aut aſſumptionem terminare.

XVII

ET Pater incarnari potuit, & itidē Spiritus Sanctus: potuerunt ēt tres perſonæ vnā atque eandē naturam aſſumere: id quod ſi factū eſſet, eſſent Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,

vnus homo, vt nũc ſunt, quãquã tres perſonæ, Deus vnus. Nec ſi, quod fieri potuit, Dei filius duas naturas aſſumpſiſſet, duo homines eſſent, ſed vnus; nam etſi ſuppoſitorum diſtinctio ſatis non ſit, vt plures aliqui ſecundum aliquam naturam eſſe dicantur, eſt tamen ad id neceſſaria.

XVIII

LIcet Dei filius perſonam non aſſumpſerit, potuiſſe tamen aſſumere (ſi vera eſt illorum ſententia, qui perſonæ rationem ita per negationem conſtituunt, vt nihil putent realiter addi perſonæ naturæ adiectione) nobis videtur eſſe concedendum. Etenim ſi per hoc natura eſt ſuppoſitum, quod in ſe, & per ſe, & non in alio, aut per aliud ſubſiſtit; quid prohibet quominus Deus alicuius hominis naturam aſſumat, faciatque, vt quæ per ſe ſubſiſtebat, per Dei eſſe ſubſiſtat? quanquam id nos magis diſputandi gratia ſcribimus, quàm quòd omnino certum habeamus.

XIX

NEC omnium hominum humana natura à verbo aſſumenda fuit, nec conueniens erat, vt aliunde, quàm ex Adam ſtirpe aſſumeretur. Nam cum eſt iuſtitiæ, vt is pœnas det, qui peccauit, tum ad hominis dignitatem pertinet, vt à quo victus is fuerat, ipſe Diabolum vinceret. Accedit eò etiam, quod Dei potentia eò clarius apparuit, quò eſt filiorum Adam natura infirmior.

XX

ASſumpſit Chriſtus verum corpus, ex carne & ſanguine noſtrorum more conſtitutum, veram etiam animam, cui neque intellectus neque alia humanæ animæ potentia aliqua deeſſet: meritoque ab Eccleſia illorum hæreſes condemnatæ ſunt, qui cùm Chriſtum affirmarent vel corpore carere, vel anima, eum hominem eſſe apertè negabant.

XXI

SImul quidem omnia, quæ ſunt in humana ipſius natura, Chriſtus aſſumpſit, neque prius eſt carni anima, quam diuinitati, aut diuinitati, quàm carni, vnita: Quia tamen in ijs alia alijs digniora ſunt, adeoque cauſa, cur cætera aſſumãtur, dicuntur à Doctoribus & per animam caro, & per mentem anima, & per totum partes fuiſſe aſſumptæ.

XXII

FVit in Chriſto gratia, quæ dicitur gratum faciens, & item ea, quæ gratis data appellatur; fuerunt etiam virtutes, & dona, ſed nec fides in eo, neque ſpes fuit, (quanquam hæc non omni ex parte ei defuit) vtrunque enim ad perfectionem Chriſti ſummam pertinebat, vt & illis non careret, & hæc non haberet. Cæterũ Chriſti gratia probabiliter dicitur eſſe infinita, tametſi enim ens eſt finitum, nihil tamen eorum, quæ ad gratiæ rationem pertinent, ei quicquam deeſt.

XXIII

CHriſtus non hominum modò ſed angelorum etiam caput eſt, Nam præter quàm, quòd eſt Deo propinquiſsimus, atque adeo perfectiſsimus, ex ipſo non ad homines ſolùm, verùm etiam ad Angelos dona deriuantur: Non tamen propterea duas habituales gratias habere credendus eſt, ſed vnam tantùm, quæ duplicem tamen habeat rationem.

XXIIII

HAbuiſſe Chriſtum ſcientiam, quæ à Theologis dicitur beatorũ & item infuſam, dubitandum nullo modo eſt: quòd verò habuerit prӕterea acquiſitam, etſi illud videtur confirmare quod Paulus ait; Didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, & eſt à pleriſque grauiſsimis viris affirmatum; Nos tamen certum eſſe omnino non putamus, atque adeo contrariam aliorum ſententiam probabilem eſſe cenſemus.

XXV

CVm Deus ſe ſolus ipſe comprehendat, non eſt putandum, Diuinã eſſentiã à Chriſti anima fuiſſe comprehenſam. Videt quidem hæc in verbo quæcunque fuerunt, ſunt, aut futura ſunt, atque adeò infinita; ſed quæcunque Deus poteſt facere, ea omnia non videt.

XXVI

PER ſcientiam infuſam cognouit Chriſtus non ſolùm quæ ab hominibus naturæ viribus, ſed etiam quæcunque diuina reuelatione cognoſci poſſunt. Fuit verò eiuſmodi ſcientia hæc, vt ad eius vſum phantaſmatis opus non eſſet. Licet autem perfectior fuerit ſcientiâ Angelorum, quod ad cognitionis certitudinẽ & cognitorum numerum attinet, tamen quod ad modum cognoſcendi pertinet fuit inferior.

XXVII

QVI putant in Chiſto fuiſſe præter beatam ſcientiam atque infuſam, aliam acquiſitam uſu, atque experientia; iјs fatendum eſt, neque omnia illum per eam cognouiſſe, neque eorũ quæ cognouit, ſimul experientiam accepiſſe. An verò ei quicquam non ſolùm cæteræ creaturæ, ſed homines etiam atque Angeli ad eam contulerint, certum non habemus, neque enim nobis illorum ratio, qui aiunt futurum fuiſſe inconueniens, ſi Chriſtus, vel ab Angelis, vel ab hominibus diſceret, apertè id, quod volũt, demonſtrare videtur.

XXVIII

NON fuit quidem Chriſtus omnipotens, qua homo erat: eſt .n. illud Dei propriũ, nec oẽs potuit quauis ratiõe creaturas immutare ſed potuit tamen facere, (quanquam non propria virtute) quæcunque à creatura aliqua fieri potuerunt. Potuiſſe verò, vt inſtrumentum Dei erat, eius humanitatem ad creationem concurrere, etſi negat Diuus Thomas, nos tamen contrariam ſententiam probabilem putamus.

XXIX

ASſumpſiſſe Chriſtum corpus infirmum, & paſſionibus obnoxium, mors eius declarat; ſed ideo humanæ naturæ defectus contraxiſſe negatur, quòd peccatum non habuerit, quod vnum illorum cauſa fuit. Nec tamen omnes infirmitates aſſumpſit, ſed eas tantùm quæ toti humanæ naturæ communes ſunt, atq; ipſius ſcientiæ perfectioni, & gratiæ non repugnãt.

XXX

NON habuit Chriſtus peccati fomitem, neque ignorantiam, ſed paſſibilem animam habuit, doloreque, & triſtitia, & timore, & admiratione, & ira affectus eſt. Nec id mirum videri debet, quando & comprehenſor ſimul & viator erat, ſed is tamen, qui eiuſmodi affectionibus non perturbaretur.

XXXI

VEræ ſunt hæ propoſitiones & propriæ, Deus eſt homo, & homo eſt Deus: eſt enim vt ſupra diximus, vnum atque idem vtriuſque naturæ in Chriſto ſuppoſitum, quo etiam fit, vt quæ ſunt filij Dei, filio hominis, & contra, quæ ſunt filij hominis, verè Dei filio tribuantur.

XXXII

NON quemadmodum verè dicimus, Deum factum eſſe hominem, ita poſſumus verè dicere, Hominem factum eſſe Deum, quanquam ſi ſanè intelligatur, concedi etiam poßit ea propoſitio. Etſi enim ille homo, qui dicitur Chriſtus, ſemper Deus fuit; at non ſemper id fuit, vt eſſet ſimul & Deus, et homo; quare cum iam id ſit, ſequitur factum fuiſſe. Atque hanc ſententiā illud videtur confirmare, quod Paulus ait: Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute, &c.

XXXIII

COncedendum ſimpliciter non videtur, Chriſtū eſſe creaturā, ſed addendum, ſecundum humanam naturā, ſeu ſecundū quod homo eſt. Atque itidem ſentiendum eſſe de hac propoſitione, hic homo, ſcilicet Chriſtus, incœpit eſſe, exiſtimat D. Thomas; ſed nobis, quod alij contra ſentiunt, non videtur improbabile.

XXXIIII

ETſi poteſt aliqua ratione intelligi, Chriſtum, ſecundum quod homo eſt, eſſe Deum; communis tamen intelligentiæ ratio poſtulare videtur, vt illam putemus falſam, & iſtam, Chriſtus ſecundum quòd homo, eſt perſona aut hypoſtaſis, non ſimpliciter concedamus.

XXXV

NON quia Chriſtus duas habet naturas, idcirco duo eſſe putandus eſt; hæc tamen videntur concedenda, Chriſtus eſt aliud & aliud; Chriſtus non eſt tantū homo, aut tantùm Deus, Chriſtus eſt aliquid, quod eſt pater, & aliquid quod non eſt pater.

XXXVI

CVM ſint in Chriſto duæ naturæ, eæque valde diſtinctæ, quarum ab altera Chriſtus habet quòd Deus, ab altera verò, quod homo eſt, nec ſit idem eſſe hominem, & eſſe Deum, non videmus cur neceſſario concedendum ſit in Chriſto vnum eſſe tantùm, & non potius duplex eſſe.

XXXVII

NON eò fuit minor in Chriſto libertas, ſeu liberi arbitrij facultas, quòd peccare non potuit, quin etiam eò liberior fuit, vt ſunt liberiores beati nunc, quàm eſſent, dum peccare poterant, quòd nulla in eis eſt vel peccati ſeruitus vel ad peccandum poten-

tia,ſeu impotentia potius;verè etenim illud à Chriſto dictum eſt;
Si filius nos liberauerit, verè liberi eritis.

XXXVIII

HVmana Chriſti volũtas Diuinæ ſemper ſubiecta fuit. Nã etſi aliquid voluit, quod Deus fieri non volebat; volebat tamen Deus,vt illud vellet: id quod tamẽ de volũtate, quæ ſenſualitatis dicitur, & item ea, quæ dicitur voluntas, vt natura, intelligendum eſt: voluntas enim vt ratio, ſeu ſecundum rationem, idem volebat, quod Deus. Quod vtrunque ſatis illis verbis explicatur; Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

XXXIX

CVM ſequatur ſuam quanque formam operatio, vt à Philoſophis rectè dicitur, dubitandum nullo modo eſt, duplicem in Chriſto operationem fuiſſe, nempe diuinam, & humanam; quanquam illud etiam concedendum eſt, diuina illum humanitus, & humana diuinitus effeciſſe.

XL

NON meruit ſibi gloriam Chriſtus; cùm non prius homo fuerit, quàm eſſet beatus: atque itidem de gratia & ſcientia, quam habuit, ſentiendum eſt; ſed gloriam corporis meruit, & item alia nonnulla, quæ, vt ait Diuus Thomas, ad eius exteriorẽ excellentiam pertinent, quod illa Pauli verba ſatis confirmãt; Propter quod & Deus exaltauit illum, &c. At verò nobis gratiam meruit, quæ nõ propterea tamen gratia non eſt, quòd nobis ex Chriſti merito contingat: nam quòd id nobis aut per ſacramenta, aut alia quapiam ratione applicetur ſingularis eſt gratia.

XLI

EST Chriſtus patri ſubiectus, quia homo eſt, unde & in ſcriptura ſerui formam accepiſſe, & ſeruus etiam dicitur. Ex quo neceſſariò ſequitur, vt ſibi etiam ipſe ſubiectus ſit, quatenus videlicet ipſe ſe, vt ait Auguſtinus, minor eſt. Quare quòd quidam Sancti id videntur negaſſe, ita interpretandum eſt, vt non naturarum proprietates, ſed ſuppoſitorum in Chriſto diuerſitatẽ ſuſtuliſſe exiſtimẽtur.

XLII

ORauit Chriſtus vt homo, eaque re & ſe oſtendit eſſe à patre

vt ait Hilarius, & nobis exemplum dedit, vt ait Ambroſius. Petijt autem aliquando à patre quæ fieri non expediebat, nō quòd ea fieri vellet, ſed vt ſe verum eſſe hominem demonſtraret, noſque doceret, & licitum eſſe naturali affectu id appetere, quod Deus fieri nolit, & affectibus noſtris Dei eſſe voluntatem à nobis anteferendam.

XLIII

NEque verò putandum eſt, Chriſti orationem non fuiſſe exauditā, quòd ea, q̄ orabat de trāsferēdo à ſe calice, non obtinuit; neque enim illa erat uoluntas eius deliberata, vt diximus, ſed naturalis appetitus quædam expreſſio, quem tamen ille nollet impleri.

XLIIII

FViſſe Chriſtum Sacerdotem ſimul & hoſtiam, cùm multis ſcripturæ teſtimonijs confirmari poteſt, tùm eſt in hunc modum intelligendum, Sacerdotis quidem eum functum officio, quòd nos Deo reconciliauit, id verò quia fecit, ſe ipſum pro nobis patri offerendo, fuiſſe hoſtiam, eamq̀ue nō ſolum pro peccato, ſed pacificam etiam, atque holocauſtum.

XLV

ETSI Chriſtus ſuo nos ſanguine ita mundauit, vt et peccatorū noſtrorū maculas, quod in ſe erat, deleuerit, & quas meruimus pœnas, iam patri dederit; Non tamen propterea nos minus in cauendis peccatis, vel in ſatisfaciendo pro ijs, quæ peccauimus, debemus eſſe ſolliciti; Neque enim poſt baptiſmum ſine noſtris nos operibus Chriſtus iuſtificat, aut paſſionis ſuæ virtutem, vt in baptiſmate plenè communicat.

XLVI

IAM verò quòd quotidie in Eccleſia ſacrificium Chriſti repetitur, nihil eius virtutem minuit, quin auget potius, quandoquidem nobis ea hoc modo maximè communicatur, dum videlicet ſæpe peccantibus, ſæpe etiam remedium adhibetur.

XLVII

POrrò id Eccleſiæ ſacrificium ita eius, quod Chriſtus in cruce obtulit, commemoratio eſt, vt non aliud tamen ſit, ſed idem omnino; quanquam non eodem prorſus modo peractum; Etenim & hîc Chriſtus Sacerdos eſt, & item hoſtia, ſed nec mortalis iam nec vllis paſſionibus amplius obnoxius. Adde, quod ſe pa-

tri nunc per alium offert; nam Sacerdos Chriſti perſonam gerit.

XLVIII

CVM ſit Chriſtus Dei filius naturalis, non eſt adoptiuus dicendus, Nam quod gratiam eam habuit, qua alij adoptantur, id in eo, vt Diuus Thomas ait, effectus quidam filiationis fuit, quam ſententiam illa Ioannis verba confirmant: Et vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à patre, &c.

XLIX

CHriſtum eſſe prædeſtinatũ filium Dei, quod Paulus ait, nõ ita eſt intelligendũ, quaſi Dei filius aliquãdo filius Dei nõ fuerit; eſt enim patri coæternus, ſed quia, vt ſupra indicauimus, non ſemper fuit homo, id prædeſtinatum eſt, vt vnus, atque idem & homo eſſet, & Dei filius naturalis; hoc enim in tempore factum eſt, atque adeò dici poteſt, & filium Dei prædeſtinatum fuiſſe, vt eſſet homo, & hominem prædeſtinatũ fuiſſe, vt eſſet Dei filius.

L

CHriſti prædeſtinatio non eò dicitur noſtræ prædeſtinationis cauſa, aut exemplar, quòd prius fuerit prædeſtinatus, quàm nos; vnicus enim tantùm eſt in Deo actus: ſed quia ad filiationem naturalem ille, nos autem ad adoptionis filiationem prædeſtinamur, & quòd id nobis nullis noſtris meritis contingat, id in eo maximè fuerit manifeſtum; denique quòd ille, vt ſupra diximus, noſtræ ſalutis cauſa erat homo futurus.

LI

ETSI ſunt plures in Chriſto adorationis cauſæ, vna tamẽ eſt ille adoratione propter vnitatẽ ſuppoſiti adorandus: quanquã ſi quis etiam plures adorationes concedendas eſſe contendat, non videtur repugnandum, cum præſertim conſtet, quandam Chriſti humanitati adorationem per ſe deberi, quæ latriæ non ſit.

LII

IMagini Chriſti eadem, quæ Chriſto, reuerentia eſt exhibẽda; atque itidem de cruce, ſiue ea fuerit, in qua paſſus eſt, ſiue eius ſimilitudinem referat, ſentiendum eſt. Mater verò Dei non latria, ſed hyperdulia colenda eſt. Sanctorum autem reliquiæ perinde, vt Sancti ipſi, dulia.

LIII

VNus quidem eſt mediator Dei & hominum, homo Chriſtus IESVS, vt Paulus ait; Is enim ſolus nos Deo reconciliauit, atque coniunxit. Quia verò in ea re adminiſtros habet et homines & Angelos, poßunt etiam ij aliqua ratione inter Deũ & homines mediatores dici.

LIIII

BEatißimam Virginem Dei Matrem, etſi ſenſit Diuus Auguſtinus, & Diuus Thomas, atque alij viri grauißimi fuiße aliorum hominum more in originali peccato conceptã; dubium tamen nobis non videtur, quin omnis prorſus culpæ expers fuerit. Id quod (vt alia nunc omittamus) non obſcurè nobis Eccleſia ſolenni eius conceptionis celebratione videtur indicare.

LV

EX hoc verò illud etiam ſequi putamus, vt peccati fomitem non habuerit, credendumque eſse, quòd ad virium animæ rectitudinem pertinet, nihil ei minus, quàm primis parentibus fuiße conceßum, neque propterea (vt Diuus Thomas putauit) Chriſti dignitati quicquam derogari, quin potius id ad filij & matris dignitatem maximè pertinere.

LVI

POrrò fuiße ſemper Virginem, nullum dubium eſt. An autem virginitatem uouerit, non videtur eſse dubitandum, cum ſit certiſsimum, nullam ei perfectionem defuiſse, quam illã habere par eſset, quæ eſset futura eius mater, qui eſt Deus benedictus in ſecula.

Amen.

L A V S D E O.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

De licentia Superiorum.